
Theologia. Teol. 4004.

Baltazarowicz Jacobi: Quaestio theologica de gratia Dei — pro gradu doctoratus in s. Theologia.



In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE GRATIA DEI,

Ex 1ma, 2dæ, D. THOMÆ,

SECVNDA,

PRIORIS CONTERMINA:

A

M. JACOBO BALTAZAROWIC,
inter Collegas Maiores, Seniore Patre,
SACRÆ THEOLOGIÆ, LICENTIATO,
Ecclesiarum, Cathedralis Cracouię: CANONICO,
Collegiatæ SS. Omnium PRÆPOSITO,
Curato Prosouien: Contubernii Staringeliani Prouisore,
Studii Vniuersitatis Cracouiensis,
GENERALI RECTORE:

PRO
GRADU DOCTORATÛS,
IN SACRA THEOLOGIA,
obtinendo,



Publicè ad Disputandum,

PROPOSITA.

In Lectorio D. Jagellonis Theologico.
Anno a Natiuitate Dñi, 1684. Mense Januarij. Die 13. Horâ 20.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO THEOLOGICA. DE GRATIA DEI.

VTrum homo, in ſtatu naturæ lapſæ, poſſit, ſine gratiæ DEI auxilio, opus aliquod, quod ſit, omni ex parte, moraſiter bonum, velle, & facere: DEUM, ſuper omnia, efficaciter diligere: totamq́; legem naturalem ſeruare, nec ne?

CONCLUSIO I.

HOmo, in ſtatu naturæ lapſæ, non poteſt, ſine auxilio Gratiæ DEI, actualis, opus aliquod, ex omni parte moraliter bonum, tàm ratione obiecti, quàm finis, & circumſtantiarum, velle, & facere.

COROLLARIA.

I. Homo in ſtatu naturæ lapſæ, ſine auxilio ſpeciali ſupernaturali, & in finem ſupernaturalem ordinato, ſuis viribus, cum ſolo concurſu generali Dei, poteſt velle, & efficere opus aliquod, moraliter bonum: quod tamen, ad æternæ vitæ meritum, nihil conferat.

II. Homo, in ſtatu naturæ lapſæ, ſine vllo ſpeciali auxilio, pertinente etiam ad ordinem naturæ, & ordinato ſolùm ad finem naturalem, poteſt efficere opus moraliter bonum, cum ſolo concurſu generali Dei.

III. Abſurdum eſt, dicere: hominẽ, in ſtatu peccati mortalis, exiſtentẽ, non poſſe, aliquos actus moraliter bonos exercere.

IV. Nefas præterea eſt, aſſerere: hominem, in luto, eiusdem peccati mortalis, hæſitantem, non poſſe aliquod opus, moraliter bonum, facere, ſine charitate. hoc eſt, ſi non referatur in Deum, propter ſe, dilectum.

V. Falſum inſuper, & piaculum eſt, docere: gratiam fidei, ſeu, fidem ſupernaturalem, ita neceſſariam eſſe, ad benè operandum, vt ſine illa, nihil boni fiat: omniaq́; infidelium opera, ſint peccata: & omnes eorũ virtutes, eſſe vitia.

CONCLUSIO II.

HOmo, in ſtatu naturæ lapſæ, non poteſt DEUM diligere, ſuper omnia, efficaciter, etiam vt eſt author, & finis naturæ, ſine ſpeciali auxilio gratiæ.

COROLLARIA.

I. In hoc tamen ſtatu, naturæ lapſæ, poteſt homo, viribus naturæ, aliquem actum, dilectionis Dei, imperfectum elicere, tanquàm erga authorem naturæ.

II. Homo, etiam in pura natura conſtitutus, non poſſet, cum ſolo concurſu generali, Deum, vt authorem naturæ efficaci amore, ſuper omnia diligere, etiam pro breuiſſimo tempore.

III. Non indigeret tamen, ad talem amorem eliciendum, idem homo, auxilio ſupernaturali: ſed tantùm auxilio ordinis naturalis, ſpeciali.

IV. Homo, in ſtatu naturæ corruptæ, etiamſi ſolùm habeat peccatum originale, vel licet habeat aliud perſonale mortale, & ignoret inuincibiliter, ſe eſſe in peccato mortali, non poſſet, ſine auxilio gratiæ, habere dilectionē Dei ſuper omnia.

V. Etiam homo iuſtus, & gratia ſanctificante præditus, indiget auxilio ſupernaturali, ad eliciendam Dei, vt authoris naturæ, ſuper omnia, dilectionem.

CONCLUSIO III.

HOmo, in ſtatu naturæ lapſæ, non poteſt, totam legem naturæ, quoad ſubſtantiam operum, ſine auxilio gratiæ obſeruare.

COROLLARIA.

I. In ſtatu, naturæ corruptæ, non poteſt homo, etiam ad breuiſſimũ tempus, ſeruare, omnia præcepta legis naturalis, poſitiuè, ſeu volũtariè, aut humano modo, ſine auxilio gratiæ.

II. Ad obſeruationem omnium præceptorum naturalium, in eodem ſtatu naturæ corruptæ, neceſſaria eſt homini gratia habitualis, non tantùm conſequenter, & ex parte termini; verum etiam antecedenter, & ex parte principii.

III. Homini, in statu naturæ lapsæ, ad totius legis naturæ obseruantiam, vltrà gratiam habitualem, necessaria est gratia specialis, auxilians.

IV. Auxilium hoc speciale, quo homo, in statu naturæ lapsæ, eget, vltrà gratiam habitualem, ad obseruationem totius legis naturalis, ex natura rei, est auxilium ordinis naturalis: supposita tamen hominis, ad statum supernaturalem, eleuatione, de facto, & re ipsa, est supernaturale.

V. Homo tamen, in statu naturæ integræ, potuisset adimplere, totam legem naturalem, quoad substantiam operum, sine vllo auxilio gratiæ, & cum solo concursu generali.



SOlâ Voluntate, miser quisq; efficitur: sed miserior, cùm desiderium, malæ voluntatis, impletur. *D. Aug. de verbis Apostolorum, Petri, & Pauli.*

Quidquid vis, & non potes: factum DEVS computat. *Idem suprà Psal. 57.*

Vnusquisque, pro operibus suis, mercedem accipiet: nec possunt, in die iudicii, aliorum virtutes, aliorum vitia subleuare. *D. Hieronim.*

Illi DEVM diligunt, qui non aliud, quàm vnde nomen eius glorificent, exercent. *D. Aug. de vita Christiana.*

Quisquis præceptis non obtemperat, reus est, & debitor pœnæ. *Idem Sermone de monte.*

Sit, nomen Domini, benedictum, in sæcula.
Sine quo nihil.



